



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

Praxis meditationis in lectionem diei Sabbathi. Cap. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

## CAPVT. XIV.

Isa. 2.

Meditatio  
diei Sabba-  
thi.

**V**ENITE ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas. Ascendamus nunc fratres, montem Caluarie, vt ibi præclaram illam lectionem & meditationem, quam summus Magister, & doctor IESVS Christus, è cathedra sanctæ Crucis nobis prælegit, & docuit, audiamus.

Sabbatho consideranda est lectio Crucifixionis: in qua puncta sequentia meditanda sunt.

*Primò:* Quomodo posteaquam truculenti carnifices ad locum supplicij peruenissent, dederint IESV acetum myrrha & felle mistum potandum, sibi verò vinum medicatum, quod Salomon his qui extremo supplicio afficiendi erant, dari ordinauerat, reseruauerint.

*Secundò:* Quomodo IESVM in cisternam quandam aquis vacuam immiserint, donec Crucem cæteraque instrumēta ad crucifixionem necessaria



effaria expedirent & accommodarent.

*Tertiò:* Quomodo illum catena, qua mansuetissimus Agnus vincus erat, violenter extraxerint.

*Quartò:* Quomodo eum vestibus spoliantes vulnera laceri corporis cum maximo afflicti IESU dolore de integro renouauerint, eo quòd vestimenta illius corpori ob sanguinem concretum adhererent. Quo factum est, vt atrocissimum ac admodum crudele hoc tormentum fuerit, ac noui sanguinis riui ex omnibus corporis partibus emanauerint: ita vt homini excarnificato, similis videri posset.

*Quintò:* Quomodo pius IESUS supra Crucem volũtariè sese extenderit, vt demonstraret, se spontaneè mortem oppetere, nec nisi sua voluntate mori voluisse, à quoquam cogipotuisse.

*Sextò:* Quomodo dextera manu clauo ferreo transuerberata, corpus contractum fuerit: quare cum sinistra ad locum destinatum minime

M 2 pertin-



pertingeret, funibus eam tam atrociter traxerunt, vt omnes iuncturæ corporis eius loco motæ, & sacrum pectus disruptum fuerit.

*Septimo:* Quomodo manibus confixis: cum pedes ad Crucem concluduatur essent, nec propter corporis contractionem, nec cum locis destinatis congruerent: illos similiter funibus tanta cum immanitate traxerunt, vt omnes nerui & iuncturæ sanctissimi corporis eius ita luxatæ fuerint, vt secundum psalmum: *Omnia ossa eius dinumerari possent.*

*Pf. l. m. 21.*

*Octauo:* Quomodo cum primum repetitis malleorum ictibus pedes eius duro & ingenti clauo, quo vtrumque pedem simul configerent, transfuerberare tentauissent, nec propter ossium duriciem penetrare possent, post multos tandem ictus, præacutum ferrum sumserunt, quo sacros pedes primum terebrauerunt, ac deinde alio iterum clauo eos simul cruci affigere aggressi sunt. Ex quibus perpendere potes illius doloris magnitudinem, & acer-



& acerbitatem, quem Christus Agnus mansuetus in sui crucifixione sustinuit.

*Nono:* Quomodo IESVS nudus in Crucem sublatus fuerit: & quomodo Beata Virgo MARIA VIX post diligentissimas preces & profundam humilitatem, obtinuerit, vt verecundiora illius, velo capitis sui contegerent.

*Decimo:* Quomodo inter duos latrones medius, tanquam homo facinorosissimus, & latronum omnium caput & princeps, crucifixus fuerit.

*Undecimo:* Quomodo ab omni hominum genere, à Pontificibus, scribis, Phariseis, sacerdotibus: ab vniuerso populo & à militibus Iudæi habitus, multisque conuitijs & maledictis impetitus fuerit: à quibus nec ipsi latrones linguas suas continuerunt, vt Euangelista testatur. *Et qui crucifixi fuerunt cum eo, conuertiabantur ei.* Marc. 15.

Hęc est breuis & succincta praxis, secundum quam prædictę lectiones meditandę & amplificandę sunt.

M 3 Vos



Vos autem fratres, ex vnoquoque horum septem mysteriorum, alias quoque lectiones formare poteritis, easque pro vt in libris legeritis, speciatim in meditationibus Seraphici Patris nostri sancti Bonaventuræ: aut prout Spiritus sanctus vos instruxerit, in meditationem assumere, sicque totam Dominicam Passionem in minutas partes distribuere: Cuius nudam duntaxat methodum, quæ vobis exempli loco sic hic subijciam.

**PASSIO DOMINICA** *quomodo in multas alias lectiones distribui possit. Et primum in quas lectiones diuidi possit lectio diei Dominice.*

## CAPVT XV.

**P**RI MA lectio in has subdividi potest: In esum Agni: Institutionem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti: sermonem quem Christus in via cum ad hortum Oliueti proficisceretur ad discipulos habuit: scâdali prædictionem, quando eis in  
mon-